



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Præcipuæ objectiones solvuntur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

ARTICULUS I.

An ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis demonstrari possit?

1. **P**Artem affirmativam tenuit olim Raymundus Lullius, existimans ex rebus naturalibus deduci posse rationes omnino evidentes, quibus mysterii Trinitatis veritas ipsi, etiam Mahometanis & infidelibus demonstrari possit: quamvis ipsum conetur excusare Vazquez. Sed quidquid sit de ejus mente, huic sententiæ, seu potius errori, favere videntur quidam antiqui Theologi, ut Richardus à S. Victore, Henricus, & Joannes Gersonius, Cancellarius Parisiensis, qui licet concedant, seclusâ omni revelatione divinâ, non posse mysterium Trinitatis ab intellectu creato cognosci; suppositâ tamen aliquâ ejus revelatione, saltè extrinsecâ, asserunt posse lumine naturali inveniri rationes, quibus hujus mysterii existentia demonstrativè probetur. Oppositum docent ceteri Theologi cum Magistro in 1. dist. 2. & cum S. Thoma ibidem dist. 3. quest. 1. art. 4. & in presenti quest. art. 1.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

2. **D**ico igitur: Ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis non potest demonstrari, etiam suppositâ divinâ revelatione.
- Probatur ratione D. Thomæ: Effectus cognitus sive quidditivè, sive comprehensivè, non ducit in cognitionem causæ, nisi sub ea ratione sub qua ab illa procedit. Atqui effectus naturales non procedunt, nec pendunt per se à Deo ut trino, sed solum quatenus uno: Ergo ex illis, etiam ut comprehensivis, non potest cognitio demonstrativa Trinitatis haberi. Major est certa: nam cognitio causæ ex effectu fundatur in dependentia, quam effectus habet ab illa: Ergo ex effectu non potest cognosci causa, nisi sub ea ratione quæ terminat dependentiam illius, & sub qua effectus ab illa producitur. Minor autem probatur: Creaturæ procedunt per se à Deo, ratione omnipotentis, per modum virtutis proximæ, & ratione Divinitatis, ut principii radicalis: Sed omnipotentia & Divinitas conveniunt Deo pro priori ad relationes, quibus constituuntur personæ: Ergo per se non dependent à Deo, quatenus trino, sed quatenus uno. Unde si per impossibile Deus non esset trinus in personis, sed in unica persona subsistens, ut existimabant olim Philosophi Gentiles, adhuc namerent creaturæ, cum perseveraret virtus productiva illarum, scilicet omnipotentia.
3. **C**onfirmatur & magis illustratur hæc ratio, hoc exemplo aptissimo. Sicut effectus procedentes ab artifice, v. g. tabella depicta à pictore, vel domus ab ædificatore constructa, ejus quidem artem & industriam manifestant; quia ab illa procedunt, & per se dependent; non tamen ejus colorem, figuram, staturam, vestes, & similia, quæ per se non currunt ad operis productionem, sed merè per accidens & concomitanter se habent in artifice ut artificiosè operante; Ita pariter, quamvis ex inspectione creaturarum, & ex artificio mundi fabricæ, infinitam supremi illius artificis artem, sapientiam, & potentiam cognoscamus, juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quæque virtus ejus ac Divinitas: ex illis tamen ad notitiam Trinitatis de-*

A venire non possumus: quia Deus ut trinus, per se non concurrat ad productionem creaturarum, sed ut omnipotens, & sapiens, ac supremus artifex; & quia divinæ relationes, quæ activæ non sunt, & habent rationem puri termini, non fluunt in opera Dei ad extra, sed solum personæ divinas in ratione principii quod actionum notionalium constituunt.

Hæc ratio non solum probat, seclusâ divinâ revelatione, ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis non posse demonstrari, sed nec etiam illâ suppositâ: quia revelatio non dat effectibus Dei dependentiam ab ipso, quatenus trino: Ergo si defectu connexionis cum Deo, quatenus trino, non potest ante revelationem ex illis Trinitas personarum demonstrari, etiam revelatione suppositâ, non poterit Deus ut trinus ex creaturis demonstrativè cognosci.

§. II.

Precipua objectiones solvuntur.

Contra præcedentem conclusionem imprimè obijci potest, quòd Philosophi Gentiles cognoverunt mysterium Trinitatis: Sed nulla tunc eis facta revelatio supernaturalis. Ergo seclusâ omni revelatione supernaturali, ex effectibus naturalibus potest mysterium Trinitatis evidenter cognosci. Minor, & Consequencia patens. Major verò probatur: quia multa invenimus dicta à Philosophis Gentilibus de hoc mysterio. In primis enim Aristoteles 1. de celo. loquens de numero ternario, dicit quòd per illum oportet nos Deum magnificare. Item Pythagoras, teste eodem Aristotele, docuit ipsum omne, ac omnia, tribus esse definita; propter quod in Deorum sacrificiis numero ternario uti solebat. Item Avicenna olim dicebat, quod El, & Elohim, & Jehova, tres personæ, & unus Deus, creatorem mundum. Similiter Trisgemitus asseruit quòd *Monas genuit Monadem, & in se ipsum reflexit orbem*: quibus verbis manifestè videtur exprimi generationem Verbi, & processum Spiritus Sancti. Denique Augustinus libro 7. Confess. refert se legisse in libris Piatonicorum, non quidem eisdem verbis, sed similibus, multa ad Sanctissimam Trinitatis notitiam pertinentia, v. g. illud quòd de æterna Verbi generatione scribit Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Confirmatur: In pluribus naturæ operibus aliqua relucere videntur Trinitatis vestigia, ex quibus Gentiles Philosophi poterunt hoc mysterium cognoscere, vel saltè aliquam illius habere suspitionem. Nam, ut egregiè annotavit Joannes Bongus, in libro quem edidit de mystica numerorum significatione, ita in numero ternario luscit natura, ut primo aspectu videatur in creaturæ & inscrutabilis Trinitatis imaginem in cunctis suis operibus insculpsisse. Tres enim sunt gradus naturarum constitutivi: scilicet esse, vivere, & intelligere. Tria rerum naturalium principia: materia, forma, & privatio. Tres durationum mensuræ: tempus, ævum, & ternitas. Tres temporis partes: futurum, præteritum, & præteritum. Triplex quantitatis species: linea, superficies, & corpus. Tres celos tantum admittunt Philosophi. Triplex in ipsis virtus: motus, calor, & lux. Triplex vitæ principium: anima rationalis, sensitiva, & vegetativa. Triplex in anima rationali potentia: intellectus,

memoria, & voluntas. Tres Angelorum Hierarchie, & quilibet in tres choros divisa. Triplex eorum operatio: purgatio, illuminatio, & perfectio. Triplex eorum status: natura, gratia, & gloria. Triplex eorum motus: circularis, rectus, & obliquus, ut docet Dionysius in libro de caelesti Hierarchia. Denique ut aiebat olim Pythagoras: *omnia tria sunt & tria unum.*

Ad objectionem respondeo, negando Majorem. Adque probationem respondet primò D. Thomae in 1. art. 1. quòd Philosophi non cognoverunt Trinitatis mysterium per propria, quæ sunt Paternitas, Filio, & processio Spiritus Sancti, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum hujus sæculi cognovit sed est nullis antiquorum Philosophorum, qui fuerunt veluti principes secularis doctrinæ, ut exponit glossa: sed solum cognoverunt quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis divinis; sicut potentia Patri, sapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto.*

Ad illud verò Aristotelis, Pythagoræ, & aliorum, qui numerum ternarium appellabant divinum, eumque in sacrificiis tanta cum religione adhibebant: Respondet eorum factis fuisse adhibendum, non propter mirabilem illam trium personarum Triadem, in unitate simplicissimæ essentia subsistentem, quam antiqui prorsus ignoraverunt, sed propter eminentem supra omnes alios hujus numeri perfectionem. Nam in numero ternario omnia veluti includuntur: quia continet unitatem, cui competit ratio principij; & duo, quibus convenit ratio medij; & tria, quæ habent rationem finis, ut explicat Zanardus, & Bongus ibi supra.

Ad hunc autem Trismegisti locum, *Monas genuit Monadem* &c. dicit referendum esse hoc dictum, non ad generationem Filij, vel processionem Spiritus Sancti, sed ad productionem mundati unum deus, unum mundum produxit, propter sui amorem.

Ad illud Augustini, qui refert se legisse in libris Platoniorum: *In principio erat verbum* &c. respondet quòd ibi verbum non sumitur secundum quòd significat personam genitam in divinis, sed secundum quòd per verbum intelligitur ratio idealis, per quam deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur.

Secundò responderi potest cum eodem S. Doctore in 1. dist. 3. quest. 1. art. 4. & ad Annibal. ibidem quest. 2. art. 2. aliquos Gentiles Philosophos pervenisse ad aliquam notitiam mysterij Trinitatis, non ex inspectu, creaturarum vel ex rationum naturalium demonstratione, sed ex Hæreticorum magisterio & Scripturarum sacrarum lectione. Certissimum enim est, antiquos Philosophos sæpissime Judæorum doctores consuluisse, ut de Pythagora & Apollonio refert Hieronymus. Ipsos etiam sacra Scripturæ libros interdum lectasse, constat Aristotelis testimonio, qui in libro de Genesi, de Moyse ejus Auctore dixisse fertur: *Pulebra profectò scribit hic barbarus si ea probaret.* Ex D. Thomæ loco citato ad Annibal. ait: *Plato legisti dicitur libros legis & Prophetarum per quos aliqualem cognitionem Trinitatis habere potuit.* Potuerunt etiam illi Philosophi aliqualem hujus mysterij haurire notitiam ex verbis Sybillarum, quibus quamplurima Christianæ religionis arcana, in præmium illi datæ virginitatis revelata sunt: vel etiam ex demonum revelatione, ut docet D. Thomas locis citatis. Demones enim,

Tom. II.

A qui in primo suæ creationis instanti, in quo in gratia creati sunt, huius mysterij fidem habuerunt, de illo interdum homines fuisse allocutos, indicat illud Serapidis responsum, qui consulenti Thuli, qui in Agypto regnavit, quinquam esset se beatorum dixisse fertur.

Principio Deus est, tum sermo, at Spiritus istis. Additur: hæc tria sunt cœva, & tendentia in unum.

Ita refert ex Suida Ludovicus Vives, libro 10. de civitate Dei cap. 23.

Ad confirmationem dicendum est, quòd licet in creaturis aliqua reluceant Trinitatis vestigia, ex his tamen, seclusâ divinâ revelatione, humana ratio non potest in aliquam eius notitiam, vel levissimam suspicionem venire. Nam, ut docet D. Thomas in 1. dist. 33. quest. 1. art. 1. ad 2. *Omnia similia quæ ex creaturis ad explicandum hoc mysterium adduci possunt, plus habent de dissimilitudine: ideo magis abducunt à veritate huius mysterij, quàm in eius veritatem intellectum inducant.* Unde Dionysius libro 1. de divinis nominibus: *Nullus numerus, aut unitas, aut secunditas, aut aliud quippiam aperuit arcanum illud divinitatis, quod omnem rationem superat & intelligens tiam.*

In huius rei typum, Ezzechielis 10. thronus Sanctissimæ Trinitatis dicitur esse positus super quatuor animalium capita: quia (ut interpretantur Doctores) huius mysterij sublimitas, quadruplicis cognitionis creatæ gradus transcendit; sensitivæ scilicet, per bovem; phantasticæ, per leonem; rationalis, per hominem; & angelicæ, per aquilam figuratæ.

§. III.

Convelluntur alia fundamenta adverse sententiæ.

C Contra præcedentem conclusionem plura congerit argumenta Raymundus Lullius, quæ evidentiâ & demonstrativa existimat; quia tamen nullius ferè momenti sunt, his prætermisissis.

Contra illam argui potest primò. Communicatio naturæ divinæ ad intra, potest ratione naturali evidenter probari: Sed illâ cognita mysterium Trinitatis cognoscitur: Ergo huius mysterij existentia potest ratione naturali demonstrari. Minor patet, Major autem, in qua consistit difficultas, probatur. Cum enim natura boni sit esse diffusivum sui, & naturæ lumine notum, omne bonum se posse communicare & diffundere, juxta suam naturam, naturali ratione cognoscitur, bonum finitum posse finitè communicari, & bonum infinitum, qualis est natura divina, posse communicari infinite: Sed solam communicationem naturæ divinæ ad intra esse infinitam simpliciter, etiam lumine naturali manifestum est: Ergo potest lumine naturali evidenter demonstrari communicatio naturæ divinæ ad intra.

Confirmatur: Lumine naturali notum est, omnes perfectiones in deo reperiri: Sed constat etiam lumine naturali, maximam esse perfectionem, generare sibi simile: Ergo eodem lumine manifestum est, generationem in deo reperiri, & consequenter Verbi productionem: esto lumine naturali processio Spiritus Sancti cognosci nequeat. Unde glossa ordinaria super cap. 3. Exodi, dicit quòd Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, id est in notitia tertiæ personæ, scilicet Spiritus Sancti.

Ff ij